Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mundo quod ait moyses. In principio fecit deus celum et terram. Fecit quod non erat.
Si ergo fecit quod non erat, ante quod erat. In principio erat verbum. Et unde celum
et terra? Omnia per ipsum facta sunt. Tu ergo ponis Christum sub fato. Ubi sunt fata?
In celo inquit in ordine et conversionibus syderum. Quomodo ergo fatum habet
per quem factum est celum et sydera, cum tua voluntas si recte sapias trans
cendat et sydera? An quia nosti Christi carnem fuisse sub celo, ideo putas
et potestatem Christi subditam celo? Audi stulte, nondum venerat hora eius, non
qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Noverat enim ipse quando de
beret mori. Intendit omnia que predicta sunt de illo, et expectavit futuri
omnia que predicta sunt ante eius passionem futura, ut cum impleta essent tunc
veniret passio dispositionis ordine non fatali necessitate. Denique
audite ut probetis. Inter cetera que de illo prophetata sunt, scriptum est etiam hoc.
Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Quomodo fac
ta sunt in evangelio novimus. Prius dederunt fel, accepit, gustavit et sputt.
Postea in cruce pendens, ut omnia predicta complerentur ait: Sitio. Ac
ceperunt spongiam aceto plenam, in arundine ligaverunt, et admoverunt
pendenti; accepit ille et ait: Perfectum est. Quid est perfectum est? Impleta
sunt omnia que ante passionem meam fuerant prophetata. Ergo adhuc quid hic
facio? Denique post ea quam dixit perfectum est, inclinato capite tradidit
spiritum. Numquid illi latrones iuxta eum fixi quando voluerunt exspiraverunt?
Tenebantur vinculis carnis, quia non erant creatores carnis. Clavis
confixi diu cruciabantur, quia infirmitati non dominabantur. Dominus autem
quando voluit carnem in utero virginali accepit, quando voluit ad
homines processit, quam diu voluit inter homines vixit, quando voluit
a carne discessit. Hoc est potestatis, non necessitatis. Hanc ergo ille
horam expectabat, non fatalem sed oportunam et voluntariam, ut prius
omnia complerentur que ante passionem ipsius compleri oportebat. Nam
quomodo sub fati necessitate positus erat, qui alio loco dixit: Potestatem
habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.
[Ne]mo tollet eam a me, sed ego ipse eam pono a me, et iterum sumo
eam. [illegible] ad eos [illegible] Ostendit hanc potestatem quando eum Iudei querebant.
Quem queritis? [Ih]esum inquit. Et illi Ihesum. Et ille. Ego sum. Qua voce
audita [illegible] redierunt retro et ceciderunt. Dicit aliquis. Si hec in illo
potestas erat, quare cum Iudei insultarent pendenti et dicerent: Si fi
lius dei est descendat de cruce, non descendit, ut eis suam potestatem

[illegible]